



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Leonardii Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.  
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De  
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censbris.  
Prælectiones Theologicæ Posthvmæ**

**Lessius, Leonardus**

**Lovanii, 1645**

Cap. 1. De loco Purgatorij.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](#)

DE

## PURGATORIO.

**N**otandum est: Hominem tribus modis liberari reatu penae post culpam condonata, Primò, satisfactione propriâ; vt ieunio, oratione, eleemosynâ in hac vitâ. Secundò, satisfactione aliena, sive in hac vitâ, sive in futurâ; vt Indulgencij. Tertiò, Satisfactione, id est, sustinendo totam penam debitâ; sic in vitâ futurâ liberamur reatu penae, nempe per ignem Purgatorium. De Prioribus duobus modis dictum est, restat vt breuiter agamus de tertio.

Quid Put-

gatorum: Nomine Purgatorij intelligimus locum quendam, in quo animæ iustorum post hanc vitam, quæ cum aliquâ labo vel reatu penae exceserunt, expiantur, & penas soluant.

## CAPUT I.

## De loco Purgatorij?

## DVBIUM I.

An post hanc vitam sit aliquis Purgatorium animarum locus?

2  
Hæretici negantes.

**H**æretici huius temporis negant, idque ob duas causas. Prior est, quia putant cum culpa remitti omnem penam. Altera causa est, quia tollunt nostram satisfactionem, eò quod Christus plenè satisfecit. In eadem sententia videtur fuisse Aërius, qui teste S. Augustino 53. docuit non esse pro defunctis orandum; & quidam hæretici dicti Apostolici tempore D. Bernardi, qui eos refutavit sermo. 66. in Cantica. Hos secuti sunt Waldenses, ut patet ex Antonino, 4. p. tit. 11. c. 7. vbi recenseret 19. errores eorum; & Albigenes, ut patet ibidem.

3  
Sententia affirmans est de fide.

Sed certa fide tenendum est, Est purgatorium, seu locum quendam, in quo animæ iustorum, quæ in hac vita non fuerunt plenè à peccatis expurgatae, expientur.

4  
Probatur ex Scriptura.

Probatur Primò: Ex Scripturis. Primus locus est 2. Machab. 15. vbi narrat Scriptura Machabæum misisse magnam vim pecunie Ierozolymam ad offerenda sacrificia pro Iudeis, qui in bello pro religione gesto cœserant. Quod factum Scriptura probans subiungit: v. 46. Sancta & salubris est cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis soluatur, id est, à penas peccatorum.

5  
Solutio obiectionis.

Sed contraria Obijcunt Primò: Librum Machabæorum non esse canonicum.

Respondeo: Etsi apud Iudeos non sit in Canonе, sicut & multi alii, tamē Ecclesia illum semper pro canonico habuit, ut patet ex S. Augustino lib. 18. de ciuit. Dei, c. 36. Machabæum, inquit, libros non Iudei; sed Ecclesia pro canonico habet. Id etiam docent alii Patres. Nec obstat, quod idem S. Augustinus lib. 2. contra Gaudentium cap. 23. ait, Scripturam Machabæorum receptionem ab Ecclesia non inutiliter, si scribere legatur; quia illud (Si scribere) non dicit propter aliquem errorem, cum bis terue ibidem Scripturam sanctam vocet, sed propter exemplum Rasias, qui se occidit, quod Scriptura vide-

tur commendare, cum reuerâ, ut S. Augustinus ostendit, non commendet absolute. Hoc modo Cantica etiam sobrie legi debent, & multa alia in Scripturis.

Obijcunt Secundò: Quod ibidem dicatur esse superfluum orare pro defunctis, si non refurgunt mortui, quod sane fallum est. Nam etiamsi anima nunquam rediret ad Corporis commercium, posset tamen pati penas, ac proinde utiliter iuuari.

Respondeo: Apud Iudeos & Sadduceos, & paucim in Scriptura pro eodem habetur, Animam esse mortalem, & non esse resurrectionem; similiter Animam esse immortalē, & esse resurrectionē; ut patet Matth. 22. vbi Dominus probat esse resurrectionem, quia animæ viuent: & 1. ad Corinth. 15. vbi Apostle probat nullas esse penas, nulla præmia, atq; adeo animas interire, si non est resurrection mortuorum; idque merito: si enim anima est immortalis, non potest perpetuò carere suo corpore, cuius naturaliter est forma; vnde necessario debet esse resurrectio. Quod si tollas resurrectionem, necesse est etiam fatigari, animas interire.

Obijcunt Tertiò: Ipsi obierant in peccato mortifero; nam inuenta sunt apud illos idolorum donaria, ut patet ex loco citato, quæ tamē lex Deuteronom. 7. vetabat accipere.

Respondeo: Vel illi legem ignorabant, vel certe multi ex illis in mortis discrimine penitentiâ ducti sunt. Quare cum non constaret obijisse in peccato mortifero, optimè pro illis Sacrificium offerebatur.

Alius locus est Matth. 12. vbi Dominus dicit esse quoddam peccatum, Quod neque in hoc sacculo, neque in futuro remittitur. Quare S. Augustinus lib. 21. de ciuit. cap. 24. ait: Non veraciter de quibusdam diceretur, quod non eis remittatur neque in hoc sacculo, neque in futuro, nisi essent quibus, eis non in isto, tamen remitteretur in futuro sacculo.

Respondent hæretici, Non sequi: solum enim significari, tale peccatum nunquam remitti; idque probant ex Marco, cap. 3. vers. 29. qui de hac re agens dicit, non remittetur in aeternum.

Sed haec responso parum valet: Etsi enim id est aeternum, quod spatium huius saeculi & futuri nonnam tamen solemus aeternum in has suas partes dividere, nisi res, de qua agitur, ad utramque partem pertineat. V. g. Et si recte dixeris, Qui voulit continentiam, non potest in aeternum vxorem ducere; non tamen recte dixeris, Qui voulit continentiam, non potest vxorem ducere, neque in hoc, neque in altero saeculo; hoc enim incepit & fatuè diceretur, eò quod vxorem ducere non pertineat vlo modo ad futurum saeculum. Pari ratione dici non potest, Qui sic peccaverit, non remittetur ei neque in hoc sacculo, neque in futuro, nisi in futuro saeculo sit aliquorum peccatorum remissio. Neque vnum potest adferri exemplum in contrarium.

Tertius locus est 1. ad Corinth. 3. v. 12. vbi Apostolus dicit, eos, qui super fundamentum, quod Expeditus ipse posuit, scilicet super fidem Christi, edificant locus 1. Co. lignum, fanum, stipulas, saluos quidem fore, si tamen rint. 3. quasi per

*quasi per ignem.* Ex quo loco omnes ferè Patres colligunt Purgatorium, quo peccata leuiora post hanc vitam expiabuntur. Vide Ambrosij commentarium, Haymonis, Anselmi, Oecumenij, & D. Thoma in hunc locum. Origenem Hom. 12. in Ieremiam, Cyprianum epist. 52. Augustinum in psalm. 37. Gregorij lib. 4. Dialogorum c. 39.

6  
2. Prob. ex  
Tradi-  
tione.

Probatur Secundò: Ex perpetua Ecclesiæ traditione, quæ semper consuevit orare pro defunctis; vt patet ex omnibus, quæ vñquam extiterunt, Liturgijs: ex Liturgia Iacobi, Clementis, Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, & Aethiopum. Patres etiam docent esse traditionem Apostolicam; Tertulianus lib. de Corona militis, pag. 2. Chrysostomus hom. 69. & 70. ad Populum.

7  
3. Prob. ex  
Concilijs.

Probatur Tertiò: Ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. cap. 66. vbi approbantur exequiæ pro defunctis. Et ex Concilio Florentino less. vltima, in decreto fidei, vbi definitur esse Purgatorium, in quod Decretum etiam Graeci consenserunt, & testati sunt se semper Purgatorium credidisse. Idem etiam definitur à Concilio Tridentino less. 25. in principio; vt omittam Concilia Provincialia omnium Provinciarum.

8  
4. Prob. ex  
Patribus.

Probatur Quartò: Testimonijs, & communis consensu Patrum Græcorum & Latinorum; ex quibus plurima collegit Garetius lib. De oratione pro Defunctis, & Damascenus de ijs, qui in fide dormierunt. Pauca tamen adferam.

Hilarius.

Hilarius in illud Psalm. 118. Concupiuit anima mea, vt desiderarem iudicium tua in omni tempore: Cum, inquit, nemo viuens in conspectu ipsius mundus sit, quomodo desiderabile potest esse iudicium eius? An, cum ex omni otioso verbo rationem sumus presituri, diem iudicij concupiscimus, in quo nobis est ille indefessus ignis obeyndus, in quo subeunda sunt grana illa expianda à peccatis anima supplicia?

August.

S. August. lib. 21. de ciuit. cap. 24. Tales fideles (nempe, qui cum leuiibus peccatis obeunt) constat ante iudicij diem per panas temporales, quas eorum spiritus patiuntur, purgatos, eterni ignis supplicij non tradendos. Et lib. 50. Homiliarum in 16. Qui temporalibus panis digna gesserint, per ignem quendam purgatoriū transibunt, de quo Apostolus: Saluus erit, sic tamē, quasi per ignem.

Greg. Nyss.

Gregorius Nyssenus in oratione, Non esse dolendum de obitu eorum, qui in fide dormierunt: Non poterit, ait, spiritus à corpore egressus Diuinis artis participes fieri, nisi maculas animi purgatoriū ignis abstulerit. Similia multa habet tum ibi, tum oratione sequenti.

Eucherius.

Eucherius Lugdunensis Homil. 3. De Epiphania: Qui temporalibus panis digna gesserint, per fluvium ignem, per vadā feruentibus globis horrenda transibunt.

Gregor. I.

S. Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 39. De quibusdam leuiibus culpis esse ante iudicij tempus purgatoriū ignis credendus est. Alios quamplurimos omitto.

9  
5. Prob.  
Ratione.

Probatur Quintò: Rationale. Primo, Certum est remissâ culpâ sèpè restare debitum peccatum temporalis, vt suprà oftensum est. Item certum est esse aliqua peccata venialia, ob qua homo non damnatur in æternum: atqui fieri potest, vt quis cum tali debito poenæ, & cum peccatis venialibus exceedat è vita: ergo necesse est, vt talis post hanc vitam purgetur & puniatur: nam in æternū puniri non potest, cum sit iustus, & charitatem habeat; nec ante expiationem possit celum ingredi.

Neque dici potest, huiusmodi homines omnes morte purgari: tum, quia in ipsâ morte possunt habere inordinatos affectus, qui proinde per ipsâ mortem tolli nequeunt; tum quia mors est poena communis bonis & malis; tum denique, quia mors sèpè repente occupat, homine minime aduentore.

Secundò: Omnes gentes veluti natura duce constituant aliquas penas purgatorias leuiorum peccatorum post hanc vitam, vt Mahometani, Philosophi, Ethnici. Nam ratio naturalis dicit, ad diuinam prouidentiam pertinere, vt crimina in hac vita non castigata, in altera castigentur; idque pro eorum gratitate.

Tertiò, Probari potest ex varijs animarum apparitionibus. Vide Bedam lib. 3. Anglorum historiae cap. 19. & lib. 5. cap. 13. & alios.

Contrà Obijciunt hereticis: Ecclesiast. II. v. 3. si cederit lignum ad Austrum, vel ad Aquilonem, in quacunque loco cederit, ibi erit: ergo tantū sunt duo loca. Confirmatur ex lib. 5. Hypognosticon, vbi futuris dicitur, esse solum duo loca, regnum celorum & gehennam; tertium autem penitus ignorari ab Ecclesia.

Respondeo: Hie locus Scripturæ non magis est contra Purgatorium, quam contra Limbum Patrum. Sicut ergo Patres in limbo pertinebant ad Austrum, id est, ad statum salutis, ita qui sunt in Purgatorio. Ad Confirmationem, Author iste loquitur de locis æternis cœtra Pelagianos. Existimabant enim Pelagiani esse tria loca æterna, scilicet, celum, infernum, & locum in quo infantes nondum baptizati habebant iuxta illos vitam æternam.

Obijciunt Secundò: 2. ad Corinth. 5. v. 10. Omnes manifestari oportet ante tribunal Christi: vt referat vñusquisque prout gesit in corpore suo, siue bonum siue malum. Atqui, si esset Purgatorium, & animæ iuarentur aliorum operibus, non referret vñusquisque prout gesit.

Respondeo: Negando Consequentiam: Nam etiam illi, qui iuarentur aliorum operibus, referunt prout geserunt in corpore. Cum enim essent in corpore, reddiderunt se dignos tali auxilio: sicut Sancti in hac vita meruerunt ut orationes eorum, quas post hanc vitam in celo funderent, exaudirentur. Vide S. Augustinum in Enchirid. c. 110. vbi hoc clarè docet.

Obijciunt Tertiò: Apocal. 14. v. 13. Beati mortui qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, ut requiescant à laboribus suis.

Respondeo: Est sermo de tempore iudicij, seu fine mundi: Amodo, id est, ab extremo iudicio. Patet ex connexis. Vide Anselmum.

Obijciunt Quartò, Quædam loca Patrum, vbi dicitur: Post hanc vitam non posse nos peccata delere, remissionem accipere, & similia.

Respondeo: Est sermo de remissione peccatorum mortiferorum.

## D V B I V M II.

### Vbi sit Purgatorium?

C Aluinus, ciuisque sectatores non solum negant Purgatorium, sed etiam omnem locum subterraneum animarum. Et addunt, Patres, qui dicuntur fusilli in Limbo non fusilli sub terra, sed in celo, solumque caruisse visione Diuina, qua etiam vñque ac diem iudicij sint carituri. Infernum etiam non esse sub terra, sed vñque; panisque inferni,

fernī nihil esse aliud, quām terrorem & anxietatē, quā animæ afficiuntur, dum cogitant Deum sibi esse iratum. Ita Caluinus lib. 3. Institutionum, cap. vlt. & lib. 2. cap. 16. vbi dicit esse aniles fabulas, qua dicuntur de locis animarum.

Communis sententia Doctorum & Patrum est, Purgatorij locum esse antrum subterraneū, inferno dānatorum proprinquit. Pro quo

<sup>12</sup>  
Quatuor  
loca anima-  
rum post  
vitam.

Notandum est, ex communi DD. sententiā, quatuor esse loca statuenda subterranea animarū, quas communī nomine Inferni vocentur, & varijs Scripturis locis insinuantur; nempe, Infernum damnatorum, Purgatorij, Limbū puerorum absque baptismo morientium, & Limbum Patrum veteris testamentis. Ratio est: quia quatuor sunt genera peccarum animarū, post hanc vitā; nempe pena danni & sensus aeterna, pena danni & sensus temporalis, pena danni tantum aeterna, & pena danni tantū temporalis. Infernum damnatorum est pro ijs, quibus debetur pena danni & sensus aeterna. Purgatorij est pro ijs, quibus debetur pena danni & sensus temporalis. Limbus puerorum pro ijs, quibus debetur pena danni tantum, sed aeterna. Limbus Patrum pro ijs, quibus debetur pena danni tantum, sed temporalis. Vide Palud. in 4.d. 45. q. 3. vbi etiam agit de statu & ordine horum locorum, docetque Infernum & Purgatorij post resurrectionem eausarum unum locum: pari ratione etiam Limbum Patrum & Puerorum. Nunc

<sup>13</sup>  
Infernum  
esse subter-  
raneū lo-  
cum, est de  
fide.

Dico Primo: Fide tenendum est, locum damnatorum esse subterraneū, & inferiorem. Probatur Primō: Deuter. 32. v. 22. ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni nūisimād est, usque ad infernum inferiorem. Proverb. 9. v. 18. Ignoravit quod ibi sint gigantes, & in profundis inferni coniua eius. & Proverb. cap. 15. v. 24. Semita vite sursum est ad erudiendum, ut declinet ab inferno inferiore.

Probatur Secundō: Quia Scriptura Infernum opponit cælo, tanquam imum locum summo. Iob 11. v. 8. Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Iaiae 14. v. 14. Dixisti, ascēdam supra altitudinem nubium, &c. Et in infernum deraberis, in profundum lacū. Psal. 138. v. 8. Si ascendero in cælum, tu illic es; si descendero in infernum, ades. Matthai 11. v. 23. Et tu Capharnaum, nunquid usque in cælum exaltaberis, usque ad infernum descendes. Ex quibus patet, hunc locum esse profundissimum, veluti voraginem quandam, & abyssum, quæ impieri nequeat, ut habet nomen Hebraicum: vnde de Demonis Lucæ 8. rogant, ne Dominus eos mittat in abyssum.

Probatur Tertiō: Ratione. Quia sicuti locus iustorum, qui amorem mundi & creaturarum viserunt, est summus, scilicet supremum cœlum; ita impiorum, qui amorem creaturarum Deo præfuerunt, debet esse infimus, ac proinde sub terra: quod insinuant nomina, quibus in Scripturā passim appellatur, Infernus, abyssus, lacus, profundum lacū, puteus abyssi, vorago, caninus ignis, stagnum ignis & sulphuris. Quare pulchrè Tertullianus in Apologet. cap. 47. Infernum vocat arcani ignis subterraneū thesaurum. De inferno & poenitentia damnatorum vide lib. 12. De perfectionibus diuinis, vbi c. 24. & 25. fusè doceque hæc tractantur.

Dico Secundō: Pari modo certum videtur <sup>14</sup>  
Vbi Limbus  
Limbū puerorum esse subterraneū. Paret ex Con-  
cilio Florentino sessi, vltimā, vbi definitur, Animas

illorum, qui in peccato morti fero attulsi, vel solo origi-  
nali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen  
disparibus puniendas. Aut̄or Hypognosticon lib. 5. dicit fidem Catholica non agnoscere, nisi duo loca ater-  
na, cœlum & infernum: Limbus ergo ad infernum  
pertinet, estq; veluti extrema inferni ora. Valde  
tamen credibile est ignem cōd non pertingere; vt  
colligitur ex Innocentio III. Capit. Maiores, de  
Baptismo; & communiter docēt Doctores.

Dico Tertiō: Fide quoque tenendum est, Lim-  
bum Patrum etiam esse locum subterraneū. Probatur <sup>15</sup>  
Primō ex Symbolo, Descendit ad inferos. Et ad Patrum,  
Ephes. 4, vbi Christus dicitur descendisse ad inferno-  
res partes terre, scilicet ad locum Patrum. Vide  
plura Scripturæ & PP. testimonia in libro Bellio-  
lani sub finem.

Dico Quartō: Locus Purgatorij similiter est sub  
terrā. Hæc propositio, eti non æquè certa est, ac <sup>16</sup>  
precedens; videtur tamen fidei proxima. Primō:  
Nam præterquam quod sit communis sententia  
Theologorū, videtur etiam esse sensus Ecclesiæ;  
qua in Missa defunctorum sic orat; Libera animas  
omnium fidelium defunctorum de penitentiis inferni, & de  
profundo lacu. Et probatur ex illo Apocal. 5. v. 13. Apocal. 5.  
vbi aperto libro per Agnum (quod fiet in fine  
mundi), Creatura qua sub terrā sunt, dicunt laude  
Deo & Agno; qua creature sine dubio sunt anima  
fidelium in Purgatorio existentes, ad quas beneficium  
redemptionis Agni pertinet. Ad Philip. 2. v. 10. Ad Philip.  
In nomine Iesu omne genu fleatur, cœli plenum, terre-  
strium, & infernorum. Deinde locus iste Actor. 2.  
v. 24. Solus inferni doloribus, à multis Patribus  
intelligitur de Purgatorio; ut ab Augustino epist.  
99. vbi dicit se non intelligere, quomodo aliter  
possit exponi. Et ab Epiphanio in hæresi Tatiani.

Omitto visiones. Vide Bedam lib. 5. cap. 13.

Congruentia est: quia animæ illæ eandem po-  
nam patiuntur, quam damnati, scilicet poenam  
danni, & sensus; solum differt, quod non sit aeterna,  
sicut poena damnatorum: ergo consentaneum  
est, ut eodem loco, eodemque igne patiantur.

## CAPVT II.

### De pœna Purgatorij.

#### D V B I V M I.

Quas pœnas patiuntur anime in  
Purgatorio?

Dico Primo: Certum est eas pati pœna danni, <sup>17</sup>  
id est, priuari aspectu Dei, seu visione bea-  
tificiæ: vnde in illis magnus mceror nascitur; sicuti  
cūm quis ob suam culpam non admittitur in con-  
spectum Principis vel parentis.

Dico Secundo: Certum etiam est, in Purgato-  
rio esse pœnam sensus. Dicitur autem pœna sensus  
omnis dolor aliunde proueniens, quām ex carentia  
visionis Dei. Ratio est: quia sicuti se inordi-  
natae ad creaturas conuerterunt, ijsque sunt oble-  
cta; ita par est, ut per eas puniantur, iuxta illud  
Sapientiæ 11. v. 17. Per que peccat quis, per hac &  
torquetur.

Dico Tertiō: In Purgatorio est pœna ignis <sup>18</sup>  
corporei. Est communis Doctorum sententia; nō ignis cor-  
tamen est fidei. Quia Græci in Concil. Floren-  
tino sessi, vltimā, vbi fateantur se semper credidisse  
Dubitans Græci, Purgato-